

# E VICE-PROVINCIA RUTHENENSI

## De horrenda tragoedia diei 21 Martii 1935

Delicto immanni nuper Redemptoristae Provinciae Belgicae, qui in Canada inter Ukrainos seu Ruthenos Missionem habent, immo universi Congregati in magnos luctus inciderunt. Etenim in domo *Yorkton* (Sakatchewan),<sup>1</sup> unde Patres Vice-Provinciae Ruthenensis circa viginti stationibus colonorum Ukrainianorum sese devovent, Adm. R. P. Rector *Ioannes (Iwan) Bala* ab homine eiusdem ritus et linguae graviter vulneratus, et minister domus, R. P. *Albertus Delforge*, nefarie interemptus est. Horrenda autem tragoedia ita accidit.

---

<sup>1</sup> Est omnium domuum nostrarum ritus orientalis prima. Imaginem collegii et adiacentis magnifici templi habes in *Analectis* IV (1925), 76. — In eadem urbe habetur etiam domus ritus Latini, quae ad Provinciam Torontinam pertinet. Cfr. *Analecta* XII (1933), 20 sq.

Die 21 Martii huius anni tempore antemeridiano faber ferrarius Stephanus Ilasz, e gente Ukraina oriundus et domicilium habens in Goodeve (Sakatchewan), in urbe Yorkton ad collegium nostrum ritus Graeco-Slavici venit. Dixit Fratri Nicephoro se cupere loqui cum P. Rectore, et Fratri ulterius interroganti causam huins desiderii respondit, se velle Missam celebrandam curare. Ianitor, cui externus viri habitus suspiciones ingerebat, se ipsum eleemosynam Superiori tradere posse ait, at Ilasz insistebat, ut P. Rector vocaretur.

Haud longa mora, et P. Bala advenit. Popularem suum, iam diu sibi notum, invitavit ut in locutorium intraret. Ibi interrogavit hominem ex adverso sedentem benigne, quomodo res in Goddeve (quae static a domo nostra Ituna dependet) se haberent, ut ipse valeret et cur in urbem Yorkton venisset. Ilasz ait se venisse ad aliquod instrumentum suae artis emendum simulque rogatum Patrem, ut Missam ad intentionem suam celebraret.

« Quodnam est Missae stipendium ? » — « Dollarus. » — « Adeo parum ? » — « Probe scis nos amplius nil exigere. » Haec dicens P. Bala se accinxit ad intentionem in aliqua chartula inscribendam.

Eodem momento in manu fabri ferrarii mensae innixa manuballistam (*révolver*) deprehendit. Initio putabat esse rem ludicram in urbe ad oblectandos parvulos comparatam, sed levans oculos in oculis hospitis detexit abyssum odii infernalis. Aufugit itaque e locutorio absque ulla mora, gravitatem periculi statim intelligens, sed antequam portam clausurae capere posset, iam globulo manuballistae in humero dextro ictus in terram cecidit. Tum Ilasz, loco convenienti sibi electo, caput victimae petivit, P. Rector vero ad se protegendum non cessabat crura corpusque movere, et sic altera glans non caput, sed humerum transfixit.

Hoc momento accurrit e penetralibus domus P. Minister Delforge, Patris Rectoris clamoribus adscitus. Statim intelligens, de qua re ageretur, ad Superiorem defendendum sese sicario obiicit, qui quidem denuo scelopetulum laxat et Patrem Delforge ferit ad mortem: confrater cum fronte perforata concidit, victima caritatis.

Tum P. Bala colligens extremas vires surrexit, et licet nova glande ab homine omnis humanitatis experti emissâ sub corde in pectore ictus, ita ut pulmo sinister perforaretur, tamen ad cubiculum R. P. Achillei De laere, fundatoris huius Missionis, sese traxit, absolutionem sacerdotalem expostulaturus. In via obviam factus cuidam Fratri, eum de tragedia instruxit et medicum vocari iussit.

Interea sicarius e domo aufugerat ad urbem versus. In via captus a publicae securitatis ministris, qui iam de scelere certiores facti erant, prius sibi mortem consciscere studuit. Revera homicida evasit etiam suicida. Manuballista denuo laxata duas glandes sibi in ventrem misit et post

biduum in nosocomio occubuit, quia nemo inventus est, qui sui sanguinis partem in sicarium transfundi sineret.

Ante mortem Ilasz petiit sepulturam in coemeterio schismaticorum. Sciendum est enim eum fuisse apostatam, membrum istius ecclesiae autocephalae Ukraine, quam nonnulli litterarum studiosi e gente Ukraine oriundi, sed apud protestantes Americanos educati, abhinc tribus decenniis in Canada condiderunt, et quae secta adhuc pecunia protestantium sustinetur. Etiam in Goodeve asseclas habet, quo loco pseudo-presbyteri a pseudo-episcopo Seraphim olim « ordinati »<sup>1</sup> quoddam nequitiae fermentum reliquerunt. In schola protestantica hi apostatae, partim antea catholici valde ferventes, didicere ingens odium in veram Christi Ecclesiam, et semen nequam in Goodeve sparsum nefasto illo die 21 Martii fructus produxit nimis amaros. Ilasz ausus est perficere, quod alii quoque facere desiderant. P. Rectorem, quem statim necare non potuit, gravissime vulneravit et alterum sacerdotem Superiori succurrentem nefarie vita orbavit.

Adm. R. P. Bala lente convalescit. Patrem Delforge vero (cuius necrologium videsis infra pag. 129) *Martyrum candidatus exercitus* in caelo excepisse iure optimo censetur; animam enim suam posuit ad vitam amici et Superioris servandam, et victima cecidit illius odii diabolici, quod apostatarum proprium est.

Iam d. 9 Aprilis Eñus Card. Sincero ad Rñus P. Generalem has litteras consolatorias dedit:

#### SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE

Roma, 9 Aprile 1935  
(Borgo Nuovo, 76)

Prot. N. 3336/28

*Rev.mo Padre,*

*Ho saputo — per comunicazione di Mons. Cassulo, Delegato Apostolico in Canada — della tragica fine del P. Delforge, Redentorista di rito greco-ruteno in Yorkton, e delle gravi condizioni in cui è stato ridotto il P. Bala, religioso dello stesso Monastero.*

*La follia omicida dell'esaltato ha colpito penosamente cotesta benemerita Congregazione dei Redentoristi e, insieme, l'Ordinariato Ruteno Canadese, che dall'opera dei religiosi di Yorkton tanto bene di edificazione e di istruzione religiosa si attende.*

*Io esprimo a V. P. Revma — insieme all'Eccmo Mons. Assessore e agli Officiali tutti di questo S. Dicastero — le condoglianze più vive, essicurando Le preghiere di suffragio per l'anima del pio religioso defunto, il cui sangue, versato nel sereno compimento della sua carità sacerdotale, sarà certo semenza di fervore e di zelo fra i Redentoristi.*

<sup>1</sup> De eo cfr. *Analecta* IV (1925), 76 sqq.

*Aggiungo l'espressione della speranza che il P. Bala abbia potuto superare il pericolo e si avvii a decisa guarigione.*

*Gradirò ogni comunicazione che Ella crederà farmi in merito al luttuoso avvenimento.*

*Profitto dell'occasione per confermarmi con sensi di ben distinto ossequio  
della P. V. Rev.<sup>ma</sup>*

*devotissimo per servirLa*

*L. Card. SINCEERO, Vescovo di S. Sabina*  
*Segretario*

*Rev<sup>mo</sup> Padre*

*G. CESARINI, Assessore.*

*P. PATRIZIO MURRAY*

*Superiore Generale dei Redentoristi*

*Roma.*